

240

238

244

234

249

229

289

189

339

139

Descriptio civitatis Rama sequitur modica.

(B) **Rama**, sive **Ramula**, civitas media inter Palaestinam et Judaeam, contermina Philistaeis et Judaeis, in sorte tribus **Judei**, in colle sita, propter quod et **Rama** est dicta, quod idem est quod **excelsum**; unde non solum illa, sed plures aliae civitates **Rama** vocatae sunt in terra sancta, quae in altis locis sunt aedificatae. In multis tamen est differentia in termino dictionis, unde **Rama**; a qua **Ramatha**, **Ramathaiim**, **Ramasse**, **Ramoth**, **Ramula**, **Aramathyra**. Haec autem **Rama**, de qua sermo est, communiter in scriptura nominatur, de qua sicut **S. Samuel** propheta natus. Hodie est civitas populosa et major quam **Jerusalem**, et nutrit multos mercatores; sed muris per circuitum non est bene munita, sicut et caeterae Saracenorum civitates muris carent. Multae **Muschkeae** sunt in ea, et per circuitum ejus. Et est sita in loco amoenissimo et fertilissimo. Omnia sunt ibi in bono et levi foro, et omnia sunt ibi suavia et optima: dempto populo, qui pessimus et singulariter **Christianis** infestus. Multi **Aethiopes** mali ibi habitant et **Mauri** et aliae gentes irrationalibes. De hac civitate mentio fit **3. Regum. 15. et Matth. 2.**

Ende

Anfang